Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8322
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



exteriores tuam dediſti percipere maieſtatem, ita quod per odoratum cunctarum rerum odorem ac redolentiam, quam in tuam laudem creaſti diuerſimode perciperemo: et per ipsam redolentiæ diuerſitatem omnipotentiæ tuæ benignitatem ac miſericordiam in creatura ſentiremus. Da quæſo propter ipsam benignitatem ac miſericordiam, ut hæc famula tua .N. odorem ſuauitatis tuæ ſano percipiat corpore atq; mente, ut expulsa nequitia à creaturarum malignarum tibi plena ſeruiat libertate: per dominum noſtrum Ihesum Chriſtum filium tuum, qui uenturus eſt iudicare .etc̃.

Ad aures.

Domine ſancte pater omnipotens, qui ad percipiendum uerbum filij tui domini noſtri Ihesu Chriſti aures hominibus dediſti, ut ipsis uerbis perceptis te deum uerum ſentirent, ſaperent et laudarent. Da quæſo propter miſericordiam maieſtatis tuæ, ut huic famulæ tuæ .N. ſine impedimento Sathanæ aures ſint apertæ, ut excluſa ab ipsa malignitate dæmonum, libera, tua percipiat uerba, tibi in laudem et honorem, et ei æternæ ſalutis in profectum, per dominum noſtrum, Qui uenturus eſt. etc̃.

Ad os, et linguam.

Domine deus omnipotens pater, qui per ſapientiam filij